



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

50 Resignatio cum pacto, & apocha tradita, ut resigna[n]s percipiat fructus, dum uiueret, an simoniaca.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO L.

Ex conf. 48. alias 33.

Renunciatio Capellaniam in manibus Papae, in fauorem alterius cum pacto, & chirographo resignanti tradito, & relinquendo resignanti omnes fructus ad vitam suam; si aduertens pactiorem hanc illicitam, & simoniacam esse, & rupto chirographo, postea gratis resignet, resignatarius, sine simonia vitio licet expedire, & capellaniam possidere potest.

DECISIO LI.

Ex consil. 49. alias 27.

Renunciatio beneficium in fauorem alterius in manibus Papae reseruata pensione, si post supplicationem signatam, & praestitum consensum, ante adeptam possessionem conueniant partes de aliqua reseruacione ex beneplacito Papae, quae antequam beneplacitum Papae accederet exequuta fuerint, & capta etiam possessione, simoniam realem committunt, quia conuentiones istae ante possessionem adeptam factae etiam non licet autem vetum, & bonum ius in beneficio habenti, & tarenti eius possessione, quare illam per dationes, & remissiones rerum temporalium. Pan. in cap. dilectus de simon. & Nauar. in Man. cap. 23. nu. 101. Nec reseruatio huiusmodi beneplaciti Papae, antequam impetretur conuentionem a simonia exculat.

DECISIO LII.

Ex conf. 50. 51. alias 2. 2. 3.

Duo inter se conuenientes de permutacione suorum beneficiorum in manibus Papae faciendam, si antequam signetur supplicatio, vnus eorum alteri pecunias mutuat, partim ob amicitiam inter eos iam diu contractam, partim ut ostendat se gratum ei, qui beneficium secum permutare velit, & partim etiam ne alter a proposito permutandi cum illo discedat, nullam simoniam committunt; cum hac non committatur nisi per emptionem, aut venditionem rei spiritualis, aut ei annexae, vt placet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. nec sine pacto, aut conuentione, saltem in foro exteriori. ca. Tua. de simon. Mutuare vero alteri ad amicitiam eius consequendam, ex qua beneficium aliquod ei prouenit, licitum est, ex S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. & Nauar. in Man. c. 17. num. 209. dummodo nullum pactum, aut conuentionem interueniat.

DECISIO LIII.

Ex conf. 52. alias 60.

Rogans alterum vt consentiat constitutioni pensionis super beneficio suo soluendae cuidam tertio, ad finem vt tertius ille renunciet alteri beneficio in fauorem ipsius rogantis, qui rogans illi secundo per publicum instrumentum promittit, quod ipse soluet pensionem, & eum seruabit indemnem, simoniam saltem conuentionalem committit; & si pensionem aliquam in futurum ratione praefatae promissionis soluat simonia realis erit, ab vtraque parte completa, & excommunicationem contra simoniacos in beneficio a iure latam incurrit extrauag. 2. de simonia Quamuis enim emptio, vel venditio pensionis huiusmodi excommunicationem vltimam ipso iure non inducit, quae sola contra simoniacos in beneficio, & ordine lata est, & pensio proprie beneficium Ecclesiasticum non est, sed ius ei annexum; quando tamen pensio, vel pensionis constitutio emitur, aut venditur, tanquam gradus seu medium, & ad finem beneficium aliquod spirituale acquirendi, vt in proposito contingit, censetur simonia facta super beneficio; vnde consequenter excommunicationem inducit ipso iure, si praedictam pensionem soluat, & talis promissio nulla, & inualida est: ita Nauar. in Man. c. 23. nu. 106.

DECISIO LIV.

Ex conf. 53. alias 24.

Habens nullum beneficium ecclesiasticum, & rogans habentem plura, vt renunciet vnum simpliciter in manibus Papae, in fauorem suum, nullo alio inter eos inito pacto de danda, vel accipienda vlla remuneratione: si vnus renunciat cum spe mentali recipiendi aliquam remunerationem, & alter voluntatem habeat tantum faciendi eam, & ita expeditis literis, acceptaque possessione, resignatarius aliquam remunerationem det, & resignans eam recipiat, nullam simoniam, quae eos ad relinquendum beneficium, vel ad aliquam restitutionem faciendam obligat, incurrit: Quia nullum ibi pactum tacitum de danda, vel accipienda remuneratione interuenit: cap. fin. de simonia. & Nauar. in Manua. c. 23. num. 102. & simonia mentalis actum non inficit, nec ad vllam restitutionem obligat: cap. fin. de simon. nec omnis spes remunerationis temporariae dandae, vel accipiendae pro datione rei spiritualis est illicita censenda, vt ait Nau. in Man. c. 23. num. 109.

DECISIO LV.

Ex conf. 54. alias 41.

Petens Ecclesiam Parochialem vacantem cum promissione cuidam Nobili facta, se illam obtentam permutaturum cum beneficio alterius cui Nobilis ille in concursu illo fauere volebat, si efficeret, ne alter secum concurreret: si dictus Nobilis ne alter secum concurrat, efficiat, & hac ratione petens eam obtinet, simoniam committit: Eo quod promissum fuit Beneficium obtinendum per permutacionem alteri cum pacto, ne ille secum concurreret; Simoniam enim committit, qui tollit impedimenta, quae iudice sibi opponi possunt ad quaerendum aliquod beneficium, impediendo nimirum ne alter secum concurrat; ex S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad quintum. & Caiet. & Palud. 4. dist. 15. art. 3. Est tamen haec simonia conuentionalis solum, dummodo ecclesiam illam cum beneficio alterius non permutet, si enim illam permutaret, simonia realis ab vtraque parte completa, vnde & collationem ecclesiae parochialis nullam ipso iure efficiet; ita Nau. in Man. c. 23. nu. 103.

DECISIO LVI.

Ex conf. 55. alias 90.

Simoniacus in beneficio credens bona fide beneficium ad se pertinere, etiam si vere non pertineat, & seruens illi, distributiones, & fructuum partem lucratur, quae alij interuenti dari debuissent, si per se ipsum non seruisset: neque ad restitutionem partis fructuum tenetur, quae necessario impendenda fuisset ei, qui illi beneficio seruisset: ita Cass. in decis. 6. de praeb.

DECISIO LVII.

Ex conf. 56. alias 69.

Simoniacus in ordine realis, quamuis occultus sit, excommunicationem incurrit, & in ea celebrando irregularis efficitur, super qua irregularitate Episcopus dispensare potest, ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de res. n. c. indiget dispensatione circa retentionem fructuum, si beneficium ante irregularitatem incursum adeptum fuerit; Eo quod beneficium ipso iure ante irregularitatem adeptum non amittitur; ex Innoc. in c. cum nostris de praeb. Quod si beneficium per ipsam simoniam, vel post illam, collatum fuerit, iterum ab habente potestatem illud conferendi debet conferri, cum prior collatio nulla & irrita fuerit, arg. c. 1. de regul. iur. in 6.

DECISIO LVIII.

Ex consil. 59. alias 89.

57

100

Beneficium alteri interuentu simoniae procurans, non solum ipso facto excommunicationem incurrit, si simonia realis fuerit: extra. 2. de simon. sed etiam ad fructus ab alio male perceptos restituendos tenetur, cum is, qui causam